



# Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/342814>

3

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**USUFRUCTU,**

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

**D. JOHANNIS MUNNICKS,**

Reip. Ultrajectinae Poliatri, atque in inclyta ejusdem Academiae  
Medicinae Anatomae & Botanicae Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu & Nobilissima  
Facultatis JURIDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in **UTROQUE JURE** Honoribus, &  
Privilegiis ritè consequendis,

*Eruditorum examini exponit*

**HERMANNUS AMYA, Amstelo-Batavus.**

*Ad diem 7. Aprilis horà locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiae  
Typographi, M. DC. LXXXV.

*Amplissimis & Consultissimis VIRIS,*

D. JACOBO de VOGELAER, J. C.  
Et Reipublicæ Amstelodamensis à Secretis, pa-  
renti reverendo, & omni filiali honore in æter-  
num colendo.

D. ARNOLDO HUIBERTS, M. D.  
& ad Ædem D. Salvatoris Canonico, quondam  
Tutori suo fidelissimo.

NEC NON

*Amplissimis, consultissimis, spectatissimisque Viris,*

D. CAROLO HARSING, sororis unicæ conjugii.

D. JOANNI de VOGELAER, J. C. & affini  
dilecto.

D. ISAACO LA MAIR, Orthodoxæ religionis  
propugnatori strenuissimo, Pastori Ecclesiæ  
Amstelodamensis fidelissimo.

D. NICOLAO LISTING, J. C. & apud Am-  
stelodamenses Practico celeberrimo, avunculo.

D. JOANNI ALBERTO a FRIESHEIM,  
J. C. Cognato meo charissimo.

*Hæc Theses Inaugurales*

D. D. D.

HERMANNUS AMYA.



# PRÆFATIO.

**C**um inter servitutes personales merito principem sibi locum ususfructus vindicet disputaturus pro more Academia pauca de ista materia in presenti differere proposui, & quia admodum familiare est. *JC*<sup>is</sup> rerum tractatus a definitionibus ordiri, ut intelligatur quid sit id de quo agitur, receptum hactenus morem imitabor.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
USUFRUCTU.

T H E S I S I.



Susufructus verè & proprie dictus, est jus alienis rebus, utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ. *princip. Instit. d. usufruct. l. i. ff. eodem.*

I I.

Aio usumfructum esse jus, habita nempe relatione ad usufructuarium, cui usufructus debetur, nam respectu debentis est servitus. In omni enim servitute duo spectantur termini, dominans & serviens, illius respectu appellatur jus, & hujus ratione nominatur servitus. *Pacii Isagoge, ad tit. d. usufruct. num. 3.*

I I I.

Diximus alienis rebus, hoc enim commune est omnium servitutum, res enim sua nemini servit. *l. 5. ff. si usufruct. petet.* & his verbis refellitur vulgaris distinctio usufructus, in causalem & formalem.

I V.

Dicitur porro in definitione, utendi, fruendi, ad removendum nudum usum, nam utimur ad necessitatem.

§. I.

§. 1. *I. d. usu & habitation.* si quidem usus cujusque rei non plus commodi seu utilitatis tribuit, quam quantum usuario necessarium est, eique sufficit ad usum & consumptionem quotidianam. *dicto §. 1. I. d. usu & habitation. l. 12. §. 1. ff. eodem.* at verò usufructus omnem utilitatem & omne commodum, quod quavis ratione ex re percipi potest sub se continet, in summa omnes obventiones, omniaque emolumenta, quæ vel ex ipso corpore sive re fructuaria percipiuntur ad usufructuarium pertinent. *l. 7. l. 9. §. l. 59. §. 1. ff. hoc tit.*

V.

Additur in definitione salvâ rerum, substantia qua clausula coarctatur jus usufructuarii, qui potest eatenus uti frui, quatenus rem salvam servet domino, ac proinde usufructuarius hâc clausula prohibetur rem consumere, causamve proprietatis deteriore facere, aut in aliam formam rem transmutare. *Clarissimus D<sup>nus</sup>. Vinnius ad princip. Institut. d. usufruct. num. 7.*

V I.

Dividitur usufructus in verum & quasi usumfructum: verus enim consistit in iis rebus unde salva & integra manet substantia, eamque usufructuarius finito usufructu se restitutum caveat: quasi usufructus constat in iis rebus, quæ usu consumuntur, quo latior esset morientium voluntas, utilitatis causa earum rerum senatus quasi usumfructum constituit. *§. 2. I. d. usufruct.*

V I I.

Potest autem usufructus constitui in omnibus rebus fruitioni accommodatis, sive sint mobiles, sive immobiles *l. 3. ff. d. usufr. ear. rer. quæ usu consumunt.* seu sese moventes, exceptis iis quæ usu consumuntur. *§. 2. I. hoc tit. l. 7. l. 15. §. 3. l. 21. §. l. 28. ff. hoc tit. We-*  
sen-

*Wesenbecius paratit. num. 1. d. usufruct. earum rer. quæ usu consumuntur.*

## VIII.

Modi quibus usufructus constituitur, varii sunt, constituitur enim inter vivos pactionibus & stipulationibus §. 1. *I. hoc tit. l. 3. ff. hoc tit.* Idque vel à testatore, vel à Lege, vel à Judice: à testatore, ultima voluntate. §. 1. *I. hoc tit.* à lege, uti patri in bonis adventitiis filii *l. 6. §. l. ultima C. d. bonis quæ liberis.* A judice ut in judiciis divisionis, nimirum si res divisionem non admittant. *l. 6. §. 10. ff. commun. dividund. l. 16. §. 1. ff. famil. erciscund. l. 6. §. 1. ff. d. usufruct.*

## IX.

Ut igitur dominus securus esse posset de proprietate, ideoque desiderante eo, usufructuarius cavere cogitur se usurum ac fruiturum boni viri arbitrato, & cum usufructus ad eum pertinere desinet, se restitutum, quod inde extabit. *l. 13. ff. usufruct. l. 1. ff. usufructuarius quemadmodum caveat.* Sed in quasi usufructu tenetur cavere de restituendo tantundem, §. 2. *I. d. usufruct.* clausula enim de utendo boni viri arbitrato ad quasi usumfructum non pertinet. *Clarissimus Vinnius ad §. 2. I. hoc tit. Johan. de Castillo in tractatu d. usufruct. cap. 15.*

## X.

Cautio verò hæc præcise est præstanda datis fidejussoribus *l. 4. C. d. usufruct. l. 1. ff. d. his qui satisfac. cogunt. Wesenbecius paratit. usufructuar. quemadmod. caveat. num. 3.* ratio hæc est quia est stipulatio prætoriam quæ tantum personas admittit non verò pignora. *l. 7. ff. d. stipulationib. prætoris.*

## XI.

Hisce missis ad alias quæstiones difficiliore me conferam,

ram, ubi primò occurrit hæc quæstio an cautio usufructua-  
ria ei, cui usufructus legatus est, à testatore remitti pos-  
sit? Negantium sententia placet, quod ad partem cau-  
tionis de utendo boni viri arbitrato. *l. 7. C. ut in possession.  
legator. vel fideicommissor. servandor. causa mittatur.  
l. 1. C. d. usufructu.* ratio est ne amoto cautionis metu usu-  
fructuarius pro libidine sua invitaretur ad grassandum &  
delinquendum in re fructuaria. *Clarissimus Vinnius se-  
lect. jur. quæst. lib. 1. cap. 29.*

X I I.

Neque hæc prætereunda est quæstio, si usufructuarius  
satisficere non possit, eò quod propter inopiam fidejussorem  
idoneum invenire nequeat, an non esset æquum eum ad-  
mitti oblata cautione juratoria? Placet eorum sententia,  
qui totam hanc rem boni judicis arbitrio committendam  
censent. Licetque hîc usurpare illud Pauli, hoc æquitas  
suggerit, etsi jure deficiamus. *l. 2. §. 5. ff. in fine d. aqua  
pluvia arcend.*

X I I I.

Quemadmodum & illud non levis est dubitationis an  
usufructuarius omnium bonorum teneatur æs alienum  
de fructibus solvere? negantibus calculum meum adjicio.  
*l. 69. ff. ad leg. falcid. & l. ultima ff. d. usufruct. legat.  
Bronckhorst quæstion. miscellanear. centur. 1. assertion.  
49. quia onus hoc hæredi non usufructuario incumbit. l. 1.  
C. si certum petet. l. 15. C. d. donationib.* qui tamen heres  
ex defuncti bonis, priusquam fructuario tradantur, detra-  
here potest, unde æs alienum & legata solvantur. *l. ultima  
d. usufruct. legat.*

X I V.

Quæsitum est quo tempore exipiret usufructus eccle-  
siæ vel reipublicæ relictus? existimamus eum spatium cen-  
tum



tum annorum finiri *l. 56. ff. d. usufruct.* quia is finis vitæ longævi hominis est; nisi civitas interim aratrum passa fuerit. *l. 21. ff. quibus modis ususfructus vel usus amittit.*

## X V.

Quæritur an is qui usumfructum habeat ædificium extruere possit? Nos negativam sententiam in puncto juris veriore judicamus. *l. 7. §. 1. ff. d. usufruct.* ratio est quia usufructuarius est solum tueri quod accepit, non novum ad inhabitandum ædificare, atque adeo nec inchoatum consummare, nec tectorium imponere potest. *l. 61. §. l. 44. ff. d. usufruct.*

## X V I.

Finitur autem ususfructus 1. morte usufructuarii, interdum tamen transit ad ejus hæredem ex voluntate testatoris, quo tamen casu primo hærede mortuo finitur. *l. 3. §. fin. §. l. 5. ff. quib. mod. usufruct. amittit. contra legem 65. ff. d. verbor. significat.* 2. Maximâ & mediâ capitis deminitione. *l. 6. C. de usufruct.* 3. Non utendo per modum & tempus. *l. 10. §. 1. l. 18. ff. quemadmod. servitut. amittit. l. 25. ff. quib. mod. usufruct. amittit.* 4. Consolidatione. *l. 17. ff. eod.* Interitu rei. *l. 5. §. 2. ff. eod.*

## X V I I.

Disputationem hanc concludemus eleganti quæstione, an usufructuarius cedens usumfructum extraneo, jus suum amittat sic ut statim revertatur ad proprietarium? Affirmantibus calculum meum adjicio. *l. 66. ff. de jur. dot. nec quicquam obstat. §. 3. I. usufr.*

F I N I S.